

NUMMUS MEMORIÆ DICATUS

CLEMENTIS VII. PONT. MAX. CU-
 SUS POST FOEDUS CUM GALLO, ANGLO, VE-
 netis, Francisco Sfortiâ, contra Carolum V.
 Cæsarem sancitum. Anno Chri-
 sti 1526.



DEderat Franciscus Rex Galliæ in signe exemplum, non te-
 merè concessam à superis victoriam, spe magnificarum pro-
 missionum sine fructu è manibus dimittendam : sed insi-
 stendum cœlestis doni beneficio cogendosque ante dimis-
 sionem, ad earum rerum satisfactionem, quas verbis pro-
 mittebant. Liberatus quippe à Cæsare pactis stare recusa-
 bat, posthabitis filiis, quos obsides reliquerat : spretâ jurisjurandi religione,
 quâ sese obstrinxerat : & ut vires magis suas magisque stabiliret, de fœdere
 cum Pontifice, Anglo, Venetis, aliisque Italiæ Principibus maturè pangen-
 do cogitabat. Pronos eam ad rem cunctos invenit. *Pontifex* inprimis *Cle-*
mens Josephus in hoc fratrum contubernio esse voluit : & quod veteres animo of-
 fensiones aleret : & quod suspectam admodum Cæsaris potentiam haberet :
 & quod Cæsar in Hispania edicta quædam contra sacrosanctæ sedis authori-
 tatem promulgaret : & quod Mediolensi arci, priusquam fame oppressa ho-
 stibus dederetur, maximis copiis in tempore succurri posse statueret. Matu-
 ratione itaque maximâ res agitur : icitur fœdus 17. Maij Anni 1526. Cuniaci
 inter Regios procuratores, & Pontificis ac Venetorum ministros ab altera.
 Capita fœderis hic ponere otiosum, cum à Guicciardino & aliis prolixius re-
 censeatur. Commodi interim parum ex hac fraternitate sensit Pontifex.
 Differt sua auxilia Francus : Sfortia, commeatus ad actus inopiâ Mediola-
 nensem arcem tradit Borbonio : Casariani Pontificem à confœderatis sepa-
 raturi, cum operâ Procerum Columnensium inducias aliquot mensium
 cum eo pepigissent, ipseque induciis temere fidens militem omnem
 dimisisset, securum obruunt : Romam nemine resistente

occupant. *Francisc. Guicciardinus : Pontus*
Heuterus : Author.

